



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. An per substitutionem pupillarem excludatur Mater à successione filii  
impuberis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

tatis illi decesserint. Tertia dicitur Exemplaris sic dicta, quia introducta est ad exemplum pupillaris; ob quod etiam quasi pupillaris dicitur, quâ parens v.g. sibi faciens Testamentum, liberis suis Furiosis, aut mente captis, puberibus, etiam emancipatis; legitimâ portione ipsi relicta, hæredem substituit. Quarta dicitur reciproca, seu brevisloqua, in qua Testator duos vel plures hæredes instituit, eosque sibi invicem substituit, instituo Cajum & Titium hæredes meos, eosque invicem substituo, ita ut si Titius non sit hæres, Cajus sit, & vice versa. Quinta dicitur denique Compendiosa, quæ verborum compendio plures in se continet substitutiones secundum diversa tempora, & ætates &c. ut cum dicit Testator, instituo filium meum hæredem, & si iste decesserit, substituo ei Cajum, quo in casu, si ante aditam hæreditatem, & ante Testatorem obierit v.g. filius, ex vulgari substitutione Cajus succedet: si verò post aditam hæreditatem, ante pubertatem tamen decesserit Filius, ex pupillari substitutione succedit Cajus.

## §. III.

*An per substitutionem pupillarem excludatur Mater à successione filij impuberis?*

Quod per substitutionem pupillarem expressam excludatur mater impuberis filij, & omnes ascendentes per lineam maternam (ac multò magis Fratres, aut alij Consanguinei) à successione hujus, etiam quoad legitimam ex variis juris Civilis Textibus, & ex Cap.

*si Pater b. e. in 6. pater: quamvis enim, ut ait Pontifex in citat. capit. filius aut filia in testamento suo, matrem legitimâ portione, jure naturæ ipsi debita, privare non possit, potest tamen pater in testamento, quod Filio impuberi fecit, matrem omninò excludere, cum tale Testamentum non tam sit filij, qui matrem à legitimâ excludere non potest, si Testamentum facere possit, quam paternum filio impuberi factum, qui cum nihil uxori suæ debeat in Testamento à se facto, per substitutionem talem expressam, eam videtur omninò exclusam voluisse; neque tamen taliter exclusam ceteri debet Mater per substitutionem pupillarem tantum tacitam, quæ implicitè continetur sub vulgari expressa, si filius impubes scilicet, hæres non est, Cajus hæres esto; quia leges tantum loquuntur de substitutione expressa pupillari, quòd hæc scilicet matrem excludat, ergo non debet extendi ad odiosam exclusionem per tacitam pupillarem, nisi ex certis conjecturis appareat, mens patris testatoris, aut frater instituti, filius testatoris, substitutus sit, quia tunc præsumitur, quòd testator voluerit hunc filium substitutum uxori præferri. Vide plura circa hanc potissimum juris Civilis Materiam apud *Aut. Method. §. cit.**

## §. IV.

*De substitutione, quæ fit per fidei-commissionem?*

Fidei Commissum in genere dici potest, quòd per intermediam personam sive per ministerium alterius alicui relinquatur. Du-